



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXX. Postulâsti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

laria, sive Laicorum & privata, ita etiam æquum est plus juris eos habere in Patronatum, qui ex Ecclesiasticis bonis, quàm in Patronatum, qui ex secularibus patrimonialibus, seu privatis bonis originem trahit. Veruntamen si Laico ex speciali privilegio, aut consuetudine competat præsentare ad beneficia, quæ secundum originem Ecclesiastici Patronatus sunt, ei derogari posse, ex communi docet Covar. in pract. quest. c. 36 n. 5.

2. Notandum secundum. Clerici quoad bona patrimonialia & propria reputantur, ut Laici, uti Abb. hic n. 5. quod intelligi debet in ordine ad Prælatos Ecclesiasticos, ipsùmque Romanum Pontificem, ut non plus juris in ea habere censetur, quàm secularis in bona subditorum Laicorum, prout Innoc. & alij docent in c. qua in Ecclesiarum de constit. quomobrem etiam jus Patronatus, quod ortum habet ex bonis Clerici patrimonialibus, ut Laicum reputatur. Ecclesiasticum verò dicitur jus Patronatus, quod ex bonis Ecclesiæ originem sumpsit, uti etiam colligitur ex hoc c.

CAPITULUM XXIX.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Rescribit Pontifex, si Episcopus Clericum præsentatum non acceptavit, & Patronus alium præsentavit, institutionem secundi validam esse: provideri tamen debere primo, si malitiosè fuit rejectus.

SUMMARIUM.

Quandonam presentatus censetur malitiosè rejectus?

1. Notandum, Si Laicus Patronus successivè duos Clericos præsentet, melior est conditio ejus, qui ab Episcopo institutus est, etsi posteriore loco præsentatus fuerit: quare in hoc casu alteri, qui prius est præsentatus, jus appellandi, aut quære-

landi non datur. Habetur etiam in Quòd autem s. hoc tit.

Limitari debet, si institutio posterior ab Episcopo ex malitia fiat, petere potest, qui prior præsentatus fuit, ut sibi aliud beneficium competens provideatur. Censetur autem malitiosè egisse Episcopus, si prius præsentatum ante præsentationem secundi sine justa causa repulit, videlicet sine examine, aut cum in examine idoneus repertus esset. Secundò, Si post præsentationem secundi prius præsentato, tamen magis idoneus esset, prætulit, & instituit secundum. arg. cons. dist. 63. c. cum astem 24. hoc tit. unde requiritur, posteriorem æquè esse idoneum, ut institui possit, itaque si prior magis sit idoneus, quæritur institui poterit, & petere, ut aliud sibi beneficium detur ex Canonis hujus promotione.

CAPITULUM XXX.

Postulasti.

PARAPHRASIS.

Ad dubitationem Episcopi Antientis respondet Pontifex, si quis præsentante Revere Ecclesiæ ordinatus sit ad titulum illius Ecclesiæ, nullum per ejusmodi institutionem præjudicium generari Patrono, quin possit vacante Ecclesiæ alium præsentare, nisi in institutionem obdulerit.

SUMMARIUM.

1. Parochus potest ad titulum sui Ecclesiæ Parochialis ordinandum, seu Episcopo offerre, etiam si Ecclesiæ illa parochialis sit.
2. Nullum tamen exinde præjudicium Patrono generatur, si consensum non præstiterit.

Notandum primum. Rector Ecclesiæ Parochialis sive Parochus potest ad titulum parochialis sui beneficii, etiam si

tronatum sit, Clericum in sacris ordinandum præsentare Episcopo. Ita hic & in c. per tuas 37. de Simonia & docui l. 5. rr. 9. c. 10. n. 5. Tunc autem ex redditibus parochiæ provideri debet Clerico, donec beneficium Ecclesiasticum consequatur cit. c. per tuas, & ob id Clericus cogi potest à Parocho, ut in Ecclesia, à qua sustentationem habet, servitium præstet, uti Abbas docet in c. conquirente 6. n. 5. de Clericis non residentibus argum. ejus textus. Quare cautus esse debet Episcopus, & tales præsentationes non admittere, nisi Ecclesia sufficientes redditus habeat, uti notavit And. in cit. c. per tuas n. 2. ubi ait, quòd in hoc casu, si Rector præsentans, nec ex titulo beneficij parochialis, nec ex proprijs bonis ordinatum alere possit, onus alendi in Episcopum cadat argum. c. 2. c. 4. cum secundum 16. de præb.

2. Notandum secundum, Si Parochus Clericum Episcopo præsentat ad titulum beneficij sui, & Patronus consensum non det, valida quidem, imò & licita est præsentatio, ut satis ex hoc c. colligitur; nullum tamen Patrono præjudicium generatur. Hinc sequitur primò, quòd Patronus ad Ecclesiam postea vacantem, quem unque velit, Clericum idoneum præsentare possit, posthabito illo, qui ad titulum parochiæ ordinatus fuit, & hæcenus servitium præstitit, sustentationemque sive pensionem aliquam ex redditibus accepit. Dubium verò est, si Patronus consensum det præsentationi, num sibi præjudicet, quòd minus alterum ad vacantem postea parochiam Episcopo præsentare possit. Gloss. hic videtur affirmare argum. hujus c. in fine, nisi de Patronorum processisset consensus. Sed contrarium rectè docet Abbas n. 6. alioquin enim sequeretur jus expectativæ, ut videlicet præsentatus ad titulum beneficij promissionem haberet de succedendo post mortem Rectoris præsentantis contra Capitulum secundum c. ult. de concessione præbendæ. Neque obstat exceptiva, nisi &c. c. ubi enim ordinariè loquendo hujusmodi clausula exceptiva ad proximè præcedens

referri debeat, fallit tamen ista regula, si absurdum inde aliquid sequatur, uti hic: itaque clausula referri debet ad remotius, ut sensus sit, Patrono nullum præjudicium generari, nisi consensum dederit præsentationi. Sequitur secundò, Si Patronus consensum non dedit, jus sustentationis accipiendæ ex tit. beneficij durare tantum ad vitam præsentantis, eò quòd Patroni interesse censeatur, ideòque aliquod ipsi præjudicium generetur, si beneficium ipsum, ficuti & redditus, quatenus non ad Rectorem, sed v. g. ad fabricam Ecclesiæ destinati sunt, pensione aut simili obligatione, seclusa necessitate, graventur, uti hic tradit Host. & And. n. 9. Abb. n. 5. Covarruv. in præf. quæst. c. 36. n. 10. ubi testatur esse communiorem.

CAPITULUM XXXI.

Transmissæ.

PARAPHRASIS.

Postquam Ecclesia vacans, in qua Jus Patronatus obtinebat Capitulum Eboracense, cuidam ab eodem Capitulo fuisset collata, alius ab eodem tuit Episcopo præsentatus. Respondit Pontifex, institui ab Episcopo posse, qui fuit præsentatus.

SUMMARIUM.

1. Patronus, quamvis Ecclesiasticus sit, præsentandi quidem, non tamen instituendi jus habet.
2. Quando quis audiendus sit proprium factum retractans?

Notandum primum. Ad Patronum, quamvis Ecclesiasticus sit, non pertinet beneficium conferre, seu concedere, sed præsentare tantum, ut præsentatus ab Episcopo institutionem etiam in beneficio consequatur. Ex quo colligitur, quòd Episcopus possit, imò quandoque debeat rejicere litteras præsentationis, in quibus Patronus,